



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiae, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata,
Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus,
Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiæ
forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXIII. De confessone partis; Et qua occasione agitur etiam de
interrogatoriis actionibus, sive de positionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

DISCURSUS XXIII.

73

Et non sint, cum similibus; Bene tamen huiusmodi probationes, cum alio facta, prasertim in causa status, magnum prastabunt administratum novarum probacionum, quae cum hac diversa persona fiant, sicut de preeminent. disc. 33. & apud proxime allegatos. Ideoque facti potius, ac arbitrii, quam juris est questio, quae certam regulam generalem non recipit, cum totum penderet a singulorum casuum circumstantiis, erroneumque propterea est; tam in ista particulari conclusione, quam generaliter in universa ista materia probationum, procedere cum generalitatibus, vel cum doctrinis, ac decisionibus, quae aliquos casus particulares percutiant, eorum combinatione non bene facta.

De confessione Partis; Et qua occasione agitur etiam de interrogatoriis actionibus, sive de Positionibus.

S V M M A R I V M .

- 1 **P**artis confessio, superat omnem speciem probationis dammodo sit legitima.
 - 2 **P**otissimum ubi sit confessio judicialis, & qualis ista dicatur.
 - 3 Quando etiam confessio judicialis non afficiat, quia erronea, sed error non presumatur.
 - 4 Debet esse univoca, & equivoca non prejudicat.
 - 5 Non attenditur confessio in iis, que consistunt in jure.
 - 6 Minusque in iis, que pendent a facto tertii.
 - 7 De implicita confessione, que resultat a productione.
 - 8 An id resultet a productione facta per procuratorem.
 - 9 De confessione que resultat a positionibus, & quod ponens fatetur, sed non articulans.
 - 10 Unde derivet ista conclusio, & quomodo intelligebeat.
 - 11 De operationibus instrumenti, & quomodo debeant intelligi.
 - 12 De actionibus interrogatoriis, & de obligatione respondendi.
 - 13 Quod usus positionum sit inutilis, & debeat aboleri.
 - 14 De abuso circa perjurium.
 - 15 De confessione judiciali deducta ex obligatione penes acta.
 - 16 De confessione extra judiciali, quando probet.
 - 17 Confessio minorum, & mulierum prohibitarum contrahere non prejudicat.
 - 18 In his confessiones judiciales attenduntur, & prajudicant.
 - 19 Declaratur quando confessio judicialis sine solemnitatibus prejudicet.
 - 20 Confessio extra judicialis parte presente probat.
 - 21 Etiamsi per epistolas familiares.
 - 22 Quid de confessione extra judiciali parte absente.
 - 23 De eodem, & quomodo ista confessio debeat probare.
 - 24 De confessione extra judiciali parte absente per epistolam scriptam tertio.
 - 25 Confessio tertii an attendatur in prejudicium tertii, & praesertim de confessione Tutoris, & Pralati, vel alterius administratoris.
 - 26 Confessio qualificata, an posse dividiri, atque rejecta qualitate attendi, diliguntur.
 - 27 De confessione debiti facta in testamento, quid importet, & an sit revocabilis.
- Card. de Luca de judicis & judicialibus.

- 28 De regula, quod confessio auctoris nocet heredi, & successori.
- 29 An confessio procuratoris prejudicet, & an posse removari.
- 30 In beneficialibus quid operetur confessio Partis.
- 31 Quid in materia fideicommissaria.
- 32 Confessio non prejudicat in iis, que obiter, & ad alium effectum dicuntur.
- 33 De regula generali in materia.

DISC. XXIII.

Certum est, nimirumque vulgatum juris principium, quod nulla datur major probatio, quam proprii oris confessio, qua inter omnes species probationis est prima, aliarumque mater, Verum quia de legitima, perfectaque confessione id intelligendum est, adeo nullam patiatur exceptionem, ex multis, quae in jure considerantur; Hinc proinde, quamvis axioma, gen. aliter, ac in abstracto clarum, atque incubitatum sit, in concreto tamen super eius applicatione, nimirum frequentes audit forus questiones.

Duplicis namque speciei confessio est. Una sci-
licet judicialis; Et altera extra judicialis; Illa vero
quae in judicio fit, plures habet species, quoniam;
Alia est vera & propria confessio judicialis, quae in
ipso calore, ac forma judicii, explicitè, atque con-
fultò fiat, putò quia Parte interessata, vel Judice
in forma judicii, debitorem, vel delinquentem in-
terrogante, ipse positivè interrogatis respondendo
veritatem fateatur; Tunc etenim verè & propriè
præfatum axioma locum habet, atque alterum intrat,
quod in confessum alias non sunt Judicis par-
tes nisi in exequendo, dum ipsomet Reus, vel de-
bitor, ita se ipsum ore proprio judicavit, add.ad
Vest. lib. 5. cap. 16. Post. de manut. obser. 19. num. 17.
& segg. it. de credit. disc. 1 16. & infra in eo disc. in quo
agitur de processu exequitivo in actione perso-
nali.

Et nihilominus, etiam isto casu, presupposita in
confidente, judicij, vel rationis perfectio uero (cum
posita imperfectione, illa sine dubio nullius mo-
menti sit,) adhuc non defint exceptiones, tam in
criminalibus, de quibus in presenti non agitur,
quam etiam in civilibus; Primo scilicet erroris, qui
tamen in facto proprio non presumitur, sed con-
cludenter probari debet; Mantic. dec. 199. Buratt de-
cif. 369. Bich. decif. 367. Secundo al' cuius acciden-
tialis habetationis mentis, vel intellectus; Tertiò
quod confessio ambigua sit, cum ad effectum pra-
judicij omnino clara, & univoca requiratur, adeo
ut dubia vel equivoca, favore confitentis inter-
pretanda sit, ut et quominus fieri potest, prajudi-
cat. Mantic. decif. 205. decif. 218. par. 6. rec. add. ad
Buratt. decif. 443. tit. de testam. disc. 33.

Quarto quod confessio contineat rem, que ab
animo vel a facto proprio pendaat, & in quibus
terminis axioma procedit; Secùs autem, ubi sit
confessio in iis, que juris sunt, in quibus ea non at-
tenditur, ubi jus ita non disponat, & ubi disponat,
nil refert confessionem adesse, cum ipsius legis o-
peratio sufficiat, adeo ea, vel non sufficiat, vel
non sit necessaria. Buratt. decif. 335. & 483. & utro-
bique num. 5.

Quinto quod factum tertii contineat, seu quod
alias a facto confitentis non pendaat, in quo parti-
ter tanquam confessio partis, adeo operativa non
consideratur; Bene tamen ad veritatis compro-
batio-

G

bationem confert, quando aliae species accedant, potissimum vero ubi fraus legi, vel utrius fieri valeat; *Baratt. decif. 1. & sepius sub tit. de usur. Ottob. decif. 196.* Cum similibus exceptionibus, que pro facti qualitate dari solent.

⁷ Alia species confessionis iudicialis est illa, que implicitè, seu virtualiter ex aliquo actu in iudicio facto retulerit; Puta per productionem iurium, & scripturarum, ex iuri regula, quod producens scripturas, approbare, seu facti dicunt omnia, que in eis continentur, *tit. de Regal. disc. 47.* ac etiam habetur *infra d[icitu]r 28. agendo de scripturarum productione, & alibi hoc eod[em] tit.*

Ista vero confessio tantæ non est operationis, quanto est prior, eaque plures etiam patitur exceptiones, *Vel* quia scilicet iuxta modernam frequentem cautelam, facta sit cum protestatione, ut censuretur scriptura approbata in partibus favorabilibus tantum impugnativa autem quoad odiosas, vel prejudiciales, (quod in Curia Prætici dicunt fieri per compulsionem;) Sive quia facta sit per non habentem legitimam ac sufficiem mandatum, Unde propterea frequenter cadunt questiones super mandato presumpto, quod ex presumptionibus, & administris deduci solet, illo praesertim quod resultat à qualitate scripture, quam non nisi ab ipso principali, procurator habere potuerit, *eodem disc. 47. de Regal. & infra dicto disc. 28.*

⁸ Id autem non semper tutum est, cum ab eodem principali, dari potuerint Causidico scripturæ, ad eius instructionem, eumque consulendum, an expeditias illas exhibere, nec ne; Ipse autem Causidicus, præter voluntatem principalis, ac sine mandato, & frequentius ex ignorantia, *dicto disc. 47. de Regal.* (& utinam quandoque non ex corruptela, & collusione cum altera parte) eas producat; Quamvis enim id non presumatur; Attamen ista est simplex juris presumptio, que non solum per contrariam expressam probationem, sed etiam per fortiores presumptiones tolli potest, idèque discretè profaci, & personarum qualitate ista conclusio intelligenda est, circa huiusmodi confessionem, que ex scripturarum productione resultat.

⁹ Eiusdemque speciei est illa confessio virtualis vel implicita, que resultat à positionibus, quoniam ponens facti dicunt omnia, que in positionibus continentur, *Gregor. & add. decif. 143. & 385. Buratt. & add. decif. 566. Rovit. pragm. 8. de iudic.* Id autem non sequitur in articulis, ex regula quod articulans non facetur; Adhuc tamen illi magnum faciunt administris contra articulantes, maximè si cum iuramento dati sint; *Gregor. & add. ubi supra, & decif. 215. Buratt. & add. decif. 600. Dunozett. decif. 672.* Adhuc tamen intrat eadem inspeccio, an positiones, datae sint ab ipso principali, cum sepius dari soleant per Causidicum; Bene verum quod isto casu minor intrat dubitandi ratio, quoniam dande sunt medio iuramento, præstandum est ab ipso et principali, quod vel a procuratore cum mandato speciali inserto ipsarum positionum tenore; Nisi mandati presumpti argumenta accedant *Buratt. decif. 966. cum aliis collectu per practicum, Ridolphin. cap. 10. par. 1. ex num. 70.*

Verum pariter nimium circumspicere procedendum est, circa præiudicia ex huiusmodi specie confessionis resultantia, quando ea gravia sint, quoniam reflectendum est ad qualitatem personarum, dum idiotæ, ac mulieres, totum agunt in fide Causidici, ignorando, quid in positionibus contineatur; Prostupique erroneous est, pariformiter in omni casu, cum eisdem generalitatibus, in hac materia

procedere, cum id iudaismi speciem potius redoleat ita desumendo præiudiciale confessionem eius, qui verè confessus est, ac eius qui nunquam confessus est, vel id confiteri nunquam in animo habuit, eo quia positiones pro frequentiori contingentiæ efformari solent per Causidicos, quorum magna pars, totum id quod scitis vel agit, scire dicitur per simplicem traditionem, & proxim, seu per formularia, idèque ad id est reflectendum.

Rigor etenim regula prædictæ, quod ponens factum, probabilem habet rationem, inspecta origine. ¹⁰ Si quidem Romani Imperii antiquis temporibus, in quibus leges civiles prodierant, in usu erant interrogatoria actions, quod scilicet ipsomet Actor personaliter, ac per se ipsum coram Judice, Reum interrogabat; Idèque super iis, quorum certam scientiam habere præsupponeret, interrogations fiebant, atque si dolose ac mendaces fierent in pœna doli, ac mendacii pro consiente habendus erat.

Ac etiam quia, ut insinuatur *infra in iuramenti sed. infra disc. 25.* ac alibi pluries, quando iuramenti præstatio introduci cepit, cui idem Jus Civile, fortius vero Canonicum adeò magnas tribuit operationes, illud cum magna maturitate, ac solemnitate praefstabatur, ob graves pœnas quibus perjurii subjacebat, & ob magnam infamiam notam, quam incurribat, idèque non nisi causa cognita, & cum summo ac maturo studio, & confilio praefstabatur, Hodiè autem redoler meram ceremoniam, seu formalitatem, adeò ut transierit in clausulas de Notariorum styllo apponi solitas; Et consequenter, cessante dictæ regula utraque ratione, erroneum est, cum illa mordicus, ac generaliter in omni casu pariformiter procedere; Atque in hoc versari debet officium, vel arbitrium judicis, in quo propterea, desideranda quidem est scientia juris, magis vero prudenter præciusdem juris congrua applicatione.

¹¹ Ubi vero antiquam formam interrogatoria actionis hodie raram, utpote ad obligationem respondendi positionibus redactam, colligant servare velit, non poterit altera pars negare responsionem, latè colligit idem practicus Ridolphin. dictio cap. 10. par. 1. ex num. 58. apud Cocom. decif. 1081. *Franch. dec. 220. Rovit. pragm. 8. de ord. ind. Buratt. decif. 882. dec. 334. par. 11. rec. circa fin. ubi quod non tenetur respondere post publicatas attestaciones.* Nimirum vero commendabile videtur ut iste usus introduceretur, quoniam ita multæ resuscarentur lites, atque tot cessarent perjuria, que indies committuntur, dum (ut diuturne forensis vita exercitum me docuit,) ipsi principales; Vel judicis calorem metuentes; Vel ¹² maiorem habentes conscientia timorem, quam illi Causidici, qui rabulae forenses dici merentur, per quorum manus huiusmodi positiones, ac responsiones transire solent, non de facili audeant interrogare nimis vera, minimeque interrogati respondere, dum juxta quotidianam praxim, usus positionum hodiè omnino inutilis remaneat, adeò ut aliud non serviet, nisi ad calumniarum fomentum, ob tot disputationes, que desuper assumuntur, tam super ipsarum positionum impertinentia, & refutatione, quam super responsionibus, & an illæ sint præcise, atque in ea forma, in quo esse debere, illius loci vel Tribunalis praxis exigat, atque super his cum magno sumptu ipsarumque rabularum impinguatione, magna temporis jactura sine profectu, eamdem ferre unquam praxis docet, ut huiusmodi confessiones, vel responsiones, litibus finem imponant.

Hinc sanctius esset eas abolere, dum ut præmissum est, ad aliud non servient, nisi ad calumniarum

niarum fomentum, multorumque perjuriorum incursum (quamvis ut alibi advertitur) iste perjurii reatus apud Sacros Canones, & antiquos Santos P.P. adeo gravis, & execrandus, hodie in desuetudinem ab illo videatur, tam in hujusmodi actibus judicialibus, qui cum juramento a collitigantibus fiant, quam etiam circa illud quotidianum, ac pene generale periuriū, quod debito, aliquae contrahentes incurunt, non faciendo statuto tempore debiti solutionem cum juramento promissam, sive alias contra actus juratos non adimplendo; Adeo ut neque ipsi contrahentibus in confessione sacramentali, in qua etiam levitates fateantur, de hoc seculposos agnoscant; Minusque ipsi confessarii levatum pariter scrupulosi indagatores, de his interrogent, vel moneant; Ideoque tam causa, quam effectus hujusmodi positionum, hodie omnino cessare videntur, atque res inutilis remaneat, praedictorum malorum effectuum potius productiva.

Datur autem in aliquibus regionibus, praesertim verò in Regno Neapolitanō, quadam species confessionis specialis, in debitis conventionalibus, per obligations scilicet penes acta, quibus propterea, parata datur exequitio, huic rationi innixa, quod in confessum in judicio, alias non sunt partes Judicis, nisi in exequendo; Adeo ut ex insinuatā supra incitationē Rubrica, nulla etiam prævia citatione, ad exequitionem de facto devenerit; Id autem erroneum est ex rationibus ibidem ponderatis, & alibi, suprà disc. 9 & tit. de credito disc. 116. & infra in eo disc. in quo agitur de iudicio exequitivo personali.

Altera est generalis species confessionis, quæ dicitur extra iudiciale, utpote facta extrà iudicium Itaque sub distinguitur, inter illam, quæ fiat Parte præsente, & alteram, quæ fiat absente Parte; Atque in utraque specie intrat eadem regula generalis, quod scilicet in iis casibus, in quibus confessio judicialis non probat, neque præjudicat multo minus probat, vel præiudicat ista extra iudiciale, quæ est longè minoris ponderis, & efficacia; Ideoque omnia, quæ apta sunt elidere confessionem judicialiem, multo magis elidunt extra iudiciale, quæ absque dubio est minus efficax seu præiudiciale.

Dantur etenim casus, in quibus confessio extra iudiciale, etiam serio facta, Parte presente, atque concludenter probata, etiam per instrumentum publicum, non attendatur, atque inefficax reputatur, Ut contingit in minoribus, & mulieribus, aliisque personis, quæ iuxta frequentem, Italiam praesertim, usum inhabilitatis sunt ad contrahendum, aliosque actus præiudiciales faciendum absque certis solemnitatibus, ex regulari, quod prohibitus alienare, sive alium contractum præiudiciale facere est prohibitus etiam facere illas confessiones, ex quibus resulant effectus præiudiciales, ne ita fraus legi fiat, atque id quod directè prohibutum est, indirectè sequatur. *Eusar. quest. 694. Gregor. & add. decif. 188. Buratt. & add. decif. 560. plures sub tit. de alienat. & contract. prohib.*

Et tamen confessiones iudiciales, aliaque acta iudiciales, sine hujusmodi solemnitatibus, attenduntur, ac præjudicant, dum præsentia judicis, ipsiusque judicij calor tollunt illam suspicionem dolos, vel metus, aut seductionis, quæ in actibus extra iudicialebus per legem præfunitur in hujusmodi personis, quæ per ipsam, imbecillis, vel imperfecti judicij reputantur. *Buratt. decif. 301. tit. de herede disc. 14.*

Id autem respectu actorum iudicialeum, pluries in facti contingentia dicere consuevi, ac practicari

obtinuit recipiendum sit, in illis actibus, qui vere cum calore judicij, atque cum Judicis præsencia, & auctoritate, mature, ac serio fiant, adeo ut congruat suprà insinuata ratio differentia, dum videmus, quod etiam in judicialibus, lex provideri voluit de curatore ad lites minores, quos imbecillis judicij reputavit, non providendo mulieres maiores, eo quia ipsa lex communis (exceptio Velleianæ) viris eas exæquavit, cunctaque contrahendi, vel disponendi liberam dedit facultatem; Unde propterea quando lex municipalis (ita regionis moribus, vel rerum experientia docentibus) mulieres minoribus exequunt, eadem consideratio habenda videtur, illis actibus exceptis, in quibus judicij calor talis sit, ut æquipollenter, & forte magis supplet legis municipalis solemnitates, Sive cestet illa ratio, vel suspicio, ob quam illa adinventa sunt.

Ita igitur spectata dicta ratione, non autem in sola generalitate verbali ista conclusio capienda est, cum de facili, sub pretextu alicuius affectati actus judicialis, putâ dandi positiones inconsultas, vel inconsultè illis respondendo, aut paritet inconsulto aliquam productionem faciendo, vel se enunciando alicuius hæredem, cum similibus fieri possit eadem fraus, Ideoque in ista quoque, prout in omni alia materia, mea fuit confuetudo dicendi, ut refecti debet principaliter ad legis rationem, seu finem, vel effectum, ob quem forma introducta est illam præ oculis propositionem habendo, quod lex edita non usit super verbis, sed super rebus, dum verè judicialis confessio ea solum dicitur, quæ fiat prævio Judicis præcepto, vel calore, atque alias etiâ apud acta voluntaria confessio, pro extrajudiciali habenda est decif. 27. par. 9. rec. Bich. deci. 250. n. 20. & dicto disc. 14. tit. de herede.

Quatenus itaque pertinet ad illam confessio nem extrajudiciale, quæ si esset judicialis afficeret, adeo ut sola dubitandi ratio, ex dicta qualitate resulteret, quod extra iudicium facta sit; illa pariter distinguitur in duas species; Unam scilicet, quæ fiat Parte interessata præsente; Et alteram quæ fiat Parte absente.

Prima species, presupposita illius, perfecta & concludenter probatione, adeo ut quæstio tolum sit super eius operatione vel efficacia, plenè & concludenter probat, atque in ea intrat initio insinuatum axioma, quod nulla major probatio, quam proprii oris confessio, attento etiam rigore juris civilis, quod in ista confessione extrajudiciale Parte præsente, non discordat à jure canonico, apud proximè infra allegados de alia specie loquentes dec. 191. p. 12. rec.

Atque inter modos confitendi, recentetur etiam illa species confessionis, quæ inter absentes fiat, modo quo humanum ingenium mutuam absentium alloquitionem introduxit, per epistolulas scilicet familiares, quoniam ubi epistola (ex gr.) debitoris directè scripta sit creditor, in ea fatendo debitum, tunc dicitur adest confessio extrajudiciale Parte præsente; Quando vero scripta sit tertio, dicitur confessio Parte absente, de cuius efficacia in hac specie epistoliarum inferius agitur, *infra.*

Altera vero species confessionis extrajudiciale Parte absente, juris civilis dispositione attenta, juxta unâ opinionem, nullù constituit gradum probacionis; Juxta vero alterâ eam semi plenam tantum facit.

Verum ex quadam aequitate canonica, quæ in Romana Curia recepta est, etiam ista species confessionis, perfectam, & concludentem inducit probationem, quasi quod canonica aequitas, non attendat formalitates, vel subtilitates juris civilis, sed contentetur sola veritate naturali, quæ

Card. Luca de iudicis & judicialibus.

accidente debitorem cogat ad solvendum quod debet, vel creditorem repellat à petitione eius, quod ipse falsus sit non deberi, vel solutum esse ad occurrendum peccato, sine quo, unum vel alterum fieri non potest. Buratt. decif. 901. & 928. decif. 12. par. 7. rec. decif. 63. par. 11. rec. tit. de credit. disc. 79. & in aliis de quibus infra.

Ista verò equitas, admixtum habet rigorem ab eiusdem Curia praxi inductum, circa modum probandi hujusmodi confessionem, ut scilicet illa plene, & concludenter probari debeat per testes bene contestes de loco, tempore, & verbis Royas decif. 213. Buratt. & add. dec. 113. 294. & 341. & 458. Bich. decif. 354. dicto disc. 79. de credit. Difficultate cedente ubi agatur de pluribus, & geminatis confessionibus successivis, an scilicet admittantur testes singulares, cum ea singularitate, quae dicitur admiculativa, non autem obfativa, quia nempe unus deponat de una confessione facta, in uno loco vel tempore, & alter de altera; Atque in hoc aliqua dignoscitur opinionum varietas; Aliquis affir manibus, alii vero negantibus; Probabilius autem videtur, ut de super certa regula generalis, cuicunque casui applicabilis statui non valeat; Ideò error est, unam vel alteram opinionem generaliter, pro consueto incepto pragmatico stilo simpliciter, ac indefinite sequi, quoniam retento alias insinuato principio, quod universa hæc materia arbitraria sit pro singulorum casuum qualitate, & circumstantiis regulanda, inspiciendo scilicet principaliter modum, vel occasionem confitendi, an serio, & mature pro recognitione veritatis confessio facta sit, vel potius ex alio incidenti, cum aliquo amico, singulariter, atque ad alium finem ita opinando, quod ut pote fiducialiter facta cum uno apta non sit prajudicare alteri, reflextendo etiam ad verisimilitudinem, vel in verisimilitudinem, aliaque veritatis admicula, vel argumenta profacti qualitate.

Et præterim in hoc proposito confessionis extrajudicialis Parte absente, probata per testes singulares, predicta singularitate admiculativa, super confessati solutione unius termini pensionis per Titularem, ad effectum, ut ita pensionarius obtineret a deo in hac materia proficuum remedium sumariissimi possessorii retinenda, seu manutentio nis; Dicebam scribens pro titulari confitente, magnam in hoc proposito differentiam constitutandam videri, inter confessionem positivam debiti, & alteram solutionis, quando ista non tendat ad absolvendum & liberandum, ut est illa creditoris favore debitoris, sed rendat potius ad magis obligandum vel prajudicandum ut suprà, quoniam non de facili quis positivè fatetur se debere id quod non debet; Poussumè exprimendo causam debendi, sine qua, confessio non relevaret; E converso autem de facili sit confessio solutionis debiti, cuius jam certa sit probatio per instrumentum vel aliud documentum, quoniam de facili debitores, majoris existimationis gratia, sive ut se liberent ab infiniti fidejus forum, vel expromissorum, vel amicorum, seu numeritorum creditoris, dicunt soluisse, cum reverè non solverint, ut frequens, & quotidiana praxis docet, agitur in Albanen, pensionis sub tit. de pension, in supplemento.

Asperum autem videtur id, quod alias in facti contingenti Rota firmavit, ut scilicet epistola familiaris, quæ tertio fiducialiter conscripta sit, atque ab isto, contra leges amicitie, vel congruentiae, creditori tradita, habere debeat vim confessionis extrajudicialis Parte absente, adeòut, ex predicta

equitate canonica sufficiens esse beat ad concludentem probationem, sub tit. de credito disc. 79. Rot. decif. 191. num. 8. par. 12. Cels. decif. 264. nu. fin.

Super confessione etiam tertii quæstiones frequenter cadunt, an tertio prejudicent, ubi præterim confitens non sit omnino extraneus, sed reputatur tertius, ad differentiam auctoris, cuius confessio probat in prajudicium hæredis, vel alterius, qui jus suum metatur, omnino dependenter à confitente, sed veniat independenter jure suo; Ut (ex gr.) sunt tutor, curator, procurator, vel alter administratrix, sive Prælatus, aut Rector Ecclesie, ac etiam haeres gravatus, seu fideicommissarius, vel prædecessor in officio, vel in beneficio, aut in feudo paeti, & providentia cum similibus, ac etiam cedens in prajudicium cessionarii, vel debitor in prajudicium creditoris &c. Et tunc regulariter ista confessio non prejudicat, nisi accedant sufficiencia minima, quorum pondus, vel efficacia certa non habet regulam, sed a facti qualitate, & circumstantiis pendet, eo modo quo generaliter habemus in confessione doris recepta, aliusque similibus prohibitis; Manic. decif. 39. Buratt. dec. 733. Royas decif. 488. & sequ. add. ad Buratt. decif. 453. decif. 27. par. 9. rec. cum iis que habentur in de feud. disc. 49. & tit. de sidecommis. disc. 172. & seqq. & tit. de dote disc. 159. Quoties enim prajudicare potest sententia, vel transactio, que sententia ac rei judicata vim habet, prajudicat etiam confessio. Buratt. decif. 792. cum aliis proxime supra.

Cum autem confessio cum aliqua modificante, vel excusante qualitate fieri soleat, frequenter in praxi audiuntur quæstiones, an divisioni locus esse debeat, adeòut rejecta qualitate, si extrinsecus ea non justificetur, confessio pura remaneat, ideoque veritatem contraria confitentem probet; Idque de more, ut in omnibus varias habet opiniones; Eatamen probabilior, magisque communiter recepta videtur, que distinguunt inter causas criminales, & civiles, ut primo casu recte intret divisionem, ideoque si quis fateatur homicidium, quod tamen ad sui defensionem, vel ex alia causa excusante, aut temperante poenam, fecisse asserat, tenebitur de homicidio, si qualitatem excusantem non justificet; Fatinac quest. 81. de Marin. resol. 83. lib. 1. cum aliis de quibus proxime infra. Quanvis ad effectum penitentia ordinaria id excusare soleat, quando criminis alia urgant gravia inditia.

In altero autem casu confessionis in civilibus; Una opinio, simpliciter ac indefinite divisionem negat, quodque confessio individua sit; Altera vero distinguit, an qualitatibus resistat, nec ne juris praesumptio ut in casu resistentia intret divisionem, atque rejici posse qualitas, secus autem, ubi haec non urgeat, Gregor. & add. decif. 92. & 200. Buratt. & add. decif. 190. & 730. decif. 434. & 442. par. 5. rec. Bich. decif. 380. num. 18. Verius tamen pro meo sensu videtur, ut ista facti potius quæstio dicenda sit, quæ proinde certam, ac generalem regulam, cuicunque casui applicabilem non recipiat, sed pro singulorum casuum circumstantiis prudenti, ac recto, benèque regulato judicis arbitrio, non autem ex illo affectionis, & voluntatis, quæstio decidendi debeat, considerando potissimum qualitatem confitentis, & an sinceritatem, vel captioni adjecta qualitas referri mereatur; Sive an substantia, seu veritatis debiti confessio nuda sit, vel potius aliorum habeat adminiculorum fomentum; Ideo-

Ideoque clarus videtur error cum solis generalitatibus juxta pragmaticum stylum procedere, cum potius ratiocinatae partes circa ponderationem circumstantiarum, in hoc præcipue videantur.

Contemporanea tamen debet esse qualitas; Nil enim refert ut quis post confessionem jam purè emissam, adjiciat qualitatem, cum tunc in nulla consideratione habeatur, dum tollere non valet effectum jam ex ea consumatum.

De confessione debiti facta in testamento, resolvenda in legatum revocabile, & quid ubi jura-
27 mentum accedat in materia crediti, & debiti par-
ticulariter agitur; ideoque ibi videndum est, tit. de
credito disc. 8o.

Annotatio autem dignæ non sunt aliquæ ho-
diè receptæ, nimirum vulgares propositiones;
Putù ut confessio auctoris præjudicet heredi, vel
28 alteri successori dependenti, qui à confiteente suum
jus metiat; Quinimò etiam si de jure proprio, ac
independenti agat, quoties qualitatem habeat ha-
reditarium confiteens, eamque cum inventarii be-
neficio, ac redditione rationum non exuat, ut præ-
fertim in fideicommissaria materia, & in illa heredis
frequenter advertitur.

Super procuratoris, vel alterius administratoris
29 confessione, quæstio cadere solet, an præjudicet, si-
ve, an sit revocabilis, & quomodo; Atque regula est,
ut non præjudicet, sive quod revocari valeat etiam
non docto de errore, quoties mandatum speciale
ad confitendum non accedat; Nisi conjecturis, ac
vehementibus administris confessio suffulta fit; Ve-
rum desuper certa regulâ statut non potest, cum ex
facti qualitate, & circumstantiis totum pendeat,
ideoque in singulis casibus, diversum est, ac parti-
cularē judicium. *Mant. decif. 302. Vefr. & add. lib.
5. cap. penul. Buratt. decif. 374. 466. 551. & 566. de-
cif. 172. par. 11. rec. & sapius.*

In beneficialibus autem, unius Partis confessio,
30 veritatem non probat favore alterius, qui in ea tan-
tum suam fundet intentionem, quam in canonico,
& legitimo titulo, non autem in confessione collig-
tantis fundare debet; Benè tamen veritatem pro-
bat in accidentalibus pro tituli canonici justifica-
tione, vel eiusdem administris. *Geminian. cons. 38.
decif. 62. nu. 5. par. 10. rec.*

Eademque distinctione adhibetur, ac recepta est
in materia fideicommissaria, ut scilicet Partis con-
fessio apta non sit inducere fideicommissum, ubi
31 non adsit, minusque operari, ut sub eo cadant ea bo-
na, quæ cadere debere aliquid non constet; Vel
quod exinde tantum persona legitimato probata
fit; Benè tamen, aliis probationibus quamvis im-
perfectis, magnum præberet fomentum confessio in-
tercessat, sive pro interpretatione in ambiguo at-
tendenda est, sub tit. de fideicommissis plurius.

32 In iis quoque casibus, in quibus regulariter con-
fessio probat, atque constituent præjudicat; In eo fo-
lum attendenda est, super quo principaliter prodic-
erit, non autem in eo, quod incidenter, ac ad
alium effectum. *Surd. decif. 250. ubi Hodier.*

Et in summa, universa ista materia confessionis
in civilibus, (de quibus tantum agitur) facti po-
tius, quam juris censenda est, erroneè ex solis gene-
ralitatibus regulanda, cum reverè, ex prudenti, ac
recto, beneque regulato judicis arbitrio singulo-
rum casum circumstantia rem decidere debeant;

Potissimum vero, an verisimilitudinis, vel
inverisimilitudinis fomentum
accedit.

Card. de Luca de iudicis & judicialibus.

De probatione per rei aspectum, seu per
evidentiam; Sive per mappas, & tabu-
las geographicas.

S V M M A R I V M.

- 1 **P**robatio per evidentiam est magna.
- 2 **D**e praxi circa accessum iudicis super faciem lo-
ci, & in quibus materia iste accessus
præticeur.
- 3 **Q**uid in hoc gerendum sit per Indices probos, &
de inconvenientibus que de super praxis docet.
- 4 **D**ieta legalis qualis sit pro salario iudicis in hoc ac-
cessu.
- 5 **A**n officialis plura explicando negotia in eodem
itinere plures dietas, vel plura emolumenta exi-
gat.
- 6 **D**e styllo Congregationis Baronum super assimila-
tionem Castrorum.
- 7 **D**eclaratur conclusio de qua numer. 1. & quando
probatio per aspectum probet.
- 8 **D**e mappis geographicis quando, & quomodo pro-
bent, & de diversis mapparum speciebus.
- 9 **I**n quibus deferendum sit iudicio peritorum.
- 10 **D**e questionibus distantia, seu maioris vicinitatis,
aut comprehensoris loci in fine diocesis, vel
provincie.
- 11 **Q**uomodo finium questiones decidi debeant, & de
confiniis publicis, vel perpetuis.
- 12 **D**e eodem, & qua regula in dubio teneri de-
beat.

DISC. XXIV.

Magna quoque, ac certa reputatur ista species
probationis per evidentiam rei, ut pote tan-
quam species probationis infallibilis, non
subjecta falsitatibus, & alterationibus, quibus sub-
jacent aliae species, de quibus infra, dum rei verita-
tem oculis propriis Iudex inspicere potest. *Mant. decif. 79. Buratt. decif. 367. & 790. decif. 197. par. 8. & decif. 86. par. 9. rec. Ottob. dec. 62. Du-
nozett. decif. 655. decisione 105. par. 12. rec. dec. 7.*

Ideoque, ubi quæstio sit super iis, quæ ab evi-
dentiâ seu rei aspectu pendeant, ut præfertim con-
tingit in questionibus confinium vel servitum
aut retractum; Praxis est, ut per Judicem fiat ac-
cessus super faciem loci, cum Notario, aliisque mi-
nistris, sibi Partibus, earumque peritis, & defen-
soribus auditis, inspiciat quomodo facti veritas se
habeat; Ac propterea praxis est, ut hujusmodi ac-
cessus, qui utraque Parte vel una earum petente,
faciens est, decernatur pro certa die, & hora, ipsi
Partibus intimanda, ut super faciem loci se quoque
cum earum defensoribus, ac peritis, int ervenire vale-
ant, atque Judicem informare, sin minus aetius in-
validus reputatur; Potissimum quia ibidem testes in-
formati vel periti (quando ita subjecta materia ex-
igat) examinari solent; Ideoque necessaria pariter
est Partium citatio ad videndum eos iurate.

Bene verum quod, quandoque per probos, &
Dei timoratos Judices, mercaturam super iudicio
facere nolentes, gravando Partes gravibus expensis,
quas hujusmodi accessus, extra Civitatem, seu locum
differentia, importare solet, quād subiecta materia
ita patiatur, quod sc. probatio situationis, vel status
rei per testes, & scripturas, vel per mappas